

CATALOGUS

LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE HIBERNUM

A DIE XIIL M. OCTOBRI AN. MDCCCXXIX.

HABENDARUM.

L I T E R I S A D L E R I A N I S .

RECTOR ET CONCILIUM

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS.

Lexiphanis Lucianei convivium qui explicare studebit, et de formis singularum vocum et de totius orationis nexu rationeque debet exponere. Quorum illud quum nunc in nos receperimus, vocabula aliquam multa breviter attingere, quam paucula copiose persequi satius esse duximus. Nam de uno alteroque verbo quamvis docte disputatum sit, non idcirco tamen scriptorem, in quae potissimum vitia inciderit, quidve secutus esse videatur, cognosci licet. Omittam autem si quas formas Viri Docti aliud agendo recte tractarunt, veluti c. 3 *ἐγκατον* (ut Philopatr. 3 *τοῖς ἐγκάτοις*) et paullo post *σμήν*, de quibus Buttmannus Gr. I. 221 et 504 not. egregie, ut solebat, disseruit. Idem vir II. 242 *ῥρέξομαι* ab Atticis perraro adscitum, deinceps penitus antiquatum Futuro *δραμοῦμαι* cedere coactum esse monuit: quod quidem a Lexiphane c. 3 *ἀποῥρέξομαι* ostendente confirmatur. Atque c. 5 non *ὀρδοπάλη* potius, quam *ὀρῶ πάλῃ* scriptum oportuisse recte a Lobeckio ad Phryn. p. 304 observatum est. Sed de Lexiphanis insigni componendorum verborum incuria quum multa dici possint, tum nescio an nihil perverius excogitaverit ille quam *ἐνοينوφλύειν* c. 14, perinde ut si *ἐνοינוγράφειν* in locum locutionis *ἐν ὄνῳ γράφειν* Dem. Encom. 15 sufficias. Veruntamen *ἐγγαστρίμυθον* c. 20 in dubitationem voco fierique potest, ut ille locus ita fere legendus sit: *πολὺς ὁ βορβορυγμὸς ἐν γαστρί. Πύθωνά τινα ξοικα πεπωκέναι*. Graviorem etiam vox *γηπαττάλους* c. 2 mihi suspicionem movit: ubi quum optimi quique Codd. *γῆ παττάλους* praeberint, nihil ob stare videtur, quominus *γῆς παττάλους* repositum eamus, nempe sicuti *γῆς ἔντερον* et similia conjungi solent. C. 2 *ἐπ' ἀστράβης ὁ χη-ῤεῖς*. Mirus Aoristus, quum *ὀχούμενος* Praesens frequentetur. Demosth. in Midiam 133, 6 B. *ἐπ' ἀστράβης δὲ ὀχούμενος ἐξ Ἀργούρας τῆς Εὐβοίας*. Luc. De Hist. Consc. 45 *ἐφ' ἵππου ὀχουμένη*. Saturnal. 28 *ἐπὶ τεττάρων ὀχούμενον*. Deor. Concil. 4 *ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος*. De Saltat. 27 *ἐμβάταις ὑψηλοῖς ἐποχούμενος*. De *ὀχεῖσθαι ἐπ' ἐλπίδος* et aliis quae eodem spectant consule Porsonum ad Eur. Or. 68, ubi nullum est Aoristi vestigium. Paullo post sequitur *ἀνατεθεῖς ἐπὶ τὴν ἀστράβην*, iusta verbi forma, sensu ineptissimo. Namque conscendimus jumentum, non imponimur in mulam aut currum, nisi morbo invalidi, ut sponsus ille Lapith. 47, qui quum gravi vulnere ictus esset, *ἐπὶ τὸ ξεῦγος ἀνατεθεῖς* (in currum *subjectus* dixeris Liviana locutione VI. 24.) avectus est. Alia est ratio Aoristi c. 11 *σχεθεῖς*, qui vereor ut ab attico

scriptore commendatus sit. Neque enim simplex Verbum, cujus nunc nulum auctorem novi nisi Arrianum, quo Fischerus ad Well. III, 89 utitur, et Hesychium in *σχεδήτω*, bonorum scriptorum usu receptum est: composita Lucianum certe non offenderunt, qui De Morte Peregr. 56 *περιεσχέθη* Dial. Mar. IX, 2 *συσχεθείσα* usurpaverit. Quamquam Fischerus l. l. *ἐν-σχεθεις*, *κατασχεδήναι* alia e Plutarcho tantum et qui ei similes sunt afferre potuit. Ne illud quidem negligendum, quod c. 14 invenimus *χλιανθεις*. Nam et Phrynichus App. 15, 16 *ἀγριωνθεις* non *ἀγριανθεις* ab Atticis, quibus *ἀγριαίνομαι* quidem placuisset, probatum esse tradidit, et Zonaras *ἐφλέγμηνεν* atticum dicens *ἐφλεγμάνθη* rejecit. Deinde *βαθῆναι*, *κλιθῆναι*, *κριθῆναι* scriptores melioris notae praetulisse constat, alexandrinus vero formis *ἀποκτανθῆναι*, *μιανθῆναι*, *παχυνθῆναι*, *πληθυνθῆναι* valde delectari, si hic locus pateretur, facile multis exemplis ostenderem. Ac librariis quoque *ν* istud impense probatum est, qui ut his utar Luc. Saturn. 22 *ἔστ' ἂν ὑπερευφρανθήτε* contra sensum inculcarunt et eo progressi sunt, ut *ιδρύνθη* *παρὰ τὸ ιδρύω* saepe interpolarent. Veruntamen *ἐφάνθη* ostensus sum magna est auctoritate munitum, Buttm. Gr. II. 244, *χαλεπανθῆναι* bis Xenophonti vindicavit L. Dindorfius ad Anab. IV, 6, 2, *τῷ πημανθέντι* est apud Plat. Legg. XI. 933. D, adde Ar. Vesp. 688 *τρυφερανθεις*, Ran. 1089 *ἐπαφανάνθη* Eccles. 146 *ἀφανανθήσομαι*, Sopat. ap. Athen. III, 58 *λευκανθείσα*. Luc. Conviv. 31 *ἀπομαρανθεις*, Saturnal. 26 *ὀξυνθῆ* Timon. 36 *παροξυνθεις*, Hermot. 11 *παροξυνθῆναι*. De Electro 3 *διασχυνθεις* (*αἰσχυνθείσαι* Ar. Ranis) Soph. Philoct. 878 *βαρυνθῶσιν*. Ar. Eccles. 66 *δασυνθείην*. Mitto alia quaedam exempla, quae jam ab aliis occupata esse video. Equidem sane vellem hoc verborum genus aliquis sibi diligenter investigandumsumeret: nam quae Fischerus ad Well. III, 48 et 108, Buttmannus Gr. I, 456 not., Matthias Gr. p. 336 et 524, Lobeckius ad Phryn. p. 36 cumularunt, iis haud sane multum adjuvamus. C. 4. *βύζην ὥστιζόμενοι*. Ne quis miretur, reprehendi a Luciano *ὥστιζομαι*, quod verbum in Aristophane identidem reddit, veluti Acharn. 24 *ὥστιοῦνται* ib. 851 *ὥστιεῖ* Plut. 330 *ὥστιζόμεσθ'* Lysistr. 329 *ὥστιζομένη*, monemus Luciani aetate illud quidquid est Verbi pene in oblivionem abiisse. Unde dixit Piscat. 34 *ὥστιζόμενοι* ib. 42 *ὥστιζομένων* et saepe *ὥτισμός*, *ὥστιζεσθαι* aut *ὥστισμός* ne semel quidem, quorum hoc nisi Moeris p. 424 consignasset, qui vel Atticis tribuit, hodie omnino ignoraremus. Nimirum de iis vocabulis, quae Lexiphanes raro antiquiorum scriptorum usu inductus repetiit, haud dubie illud tenendum est, de quo Lucianus admonuit Pseudolog. 14 *Ἀλλὰ καὶ τῶν παλαιῶν ὀνομάτων τὰ μὲν λεκτέα, τὰ δ' οὐ, ὅπόσα αὐτῶν μὴ συνήθη τοῖς πολλοῖς, ὥς μὴ ταραττοίμεν τὰς ἀκοάς, καὶ τιτρώσκοιμεν τῶν συνόντων τὰ ὦτα*. De *βύζην* et *βυζόν* multis possim: sed locum Thucydidis IV, 8 *τοὺς μὲν οὖν ἔσπλους ταῖς ναυσὶν ἀντιπρώροις βύζην κλήσειν ἔμελλον* minime certum puto. Quin e varietate scripturae

suspiceris, βύζην delendum esse, corruptum e βύσειν, quod sit glossema verbi κλήσειν. Cui sententiae duo officiant, indoles vocis rarissimae ipsa, et Arriani, quae quidem Dukero visa est, imitatio. Ceterum Lexiphani adverbium quale βύζην in deliciis fuisse demonstrat c. 5 ἀράγδην ἔχων et ἄγδην quod praeterea nusquam legi, c. 10, ubi σύρουσιν ἄγδην scripsit pro ἄγουσι καὶ σύρουσι, quemadmodum λύγδην ἐκλαιον Soph. Oed. C. 1620 vix paullum distat ab Ar. Acharn. 690 λύζει καὶ δακρύει. C. 2. ἀπιτητέα. Primo Pluralem positum videmus, atticum illum quidem, sed rariorem tamen, cuius e Luciano exempla elegi De Dipsad. 2 βατὰ γένοιτο Timon. 48 πιστευτέα D. Meretr. XIII, 3 ἀβίωτα γὰρ ἦν μοι infra c. 20 βοηθητέα ob certas quasdam causas memorabilia: tum vero Verbale ea est forma indutum, quae a poetis frequentata in pedestri scriptore non saepe usu venerit. Sed Antiatticista Bekkeri 100, 12 ἱτητέον ἀντὶ τοῦ ἱτέον Diphili exemplo munire, quod mirari licet, operae pretium putavit, in Luc. De Merc. Cond. 42 vulgo quidem παριτητέον exstat, sed Codd. haud pauci προσιτέον vel παραιτέον, ut Hermotim. 82 ἀπιτέον Necyom. 1 προσιτέον. Quae Fischerus ad Well. II, 506 collegit, mihi praetereunda puto, praeter unum, Lexiphani diligenter conferendum, παριτητέα Thucydidis I. 72. C. 3. ἐμπολήσας — πυριάτην —. Ἐμπολᾶν et ἀπεμπολᾶν Luciani his locis continentur Fugitiv. 20 Catapl. 1 et 24 Charon. 2 Piscat. 27 Toxar. 28 De Merc. Cond. 23 ibid. 24, sed ἐμπολᾶν Luciano est *lucrum capere*, Lexiphani *mereari*. At posterior, inquit, huius sibi potestatis ducem habuit Aristophanem. Recte quidem: exemplis tamen haud crebris hanc significationem inniti ex egregia Piersoni nota ad Moer. p. 156 et Brunckii verbis ad Pac. 448 atque Lobeckii ad Phryn. 584 satis apparet, cuius rei fidem facit etiam Antiatticista 96, 16 Ἐμπολήσαι: ἀντὶ τοῦ ὀνήσασθαι. C. 5. ἀπησθημένοι. Compositum plane inauditum, ut arbitror. Eurip. Hel. 1539 ἡσθημένοι quod Porsonus loco movere conatus est, Athen. XIII, 56. 589 f. ἡσθημένην. Taceo Herodoti, Synesii, Philostrati locos ubi ἡσθημένος et ἡσθημένοι ab Anglis in Thesouro compositos. Ἡσθηνται si maxime certum, at satis est infrequens, ἡσθητο autem bis apud Aelianum invenit Buttmannus Gr. II. 453, sed ἑσθήσω quod Etymologus 582, 55 fabricatus est, nemo veterum illi grammatico praeiverat. Ἀπό praeverbium rem plane finitam esse indicat respondetque in hac causa ad nostratium voculam aus. Ἀπείργω prohibendi et ἀνείργω inhibendi verba recte distinxit grammaticus Bekk. Anecd. p. 1331: Lucianus ἀπὸ hoc pacto praeponuit Saturnal. 9 ἀπηνθηκότες, D. Deor. 12, 1 ἀπομανεῖσα De Dea Syr. 6 τύπτονται τε — καὶ θρηνέουσι —. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνται τε καὶ ἀποκλαύδωνται —. ib. c. 15 et 39 ἀπεπαύσατο. Jam mirare Lexiphanis licentiam, qui hic quidem ἀπησθημένος confinxit, c. 4 autem dixit ἀπερυσθῆσαι τε ποιήσει (ut legendum), quocum illud De Mort. Peregr. 45 ὡς ἀποδακρύσει de sanatione dictum compares, c. 5 ἀποκεκομηκώς, c. 15

ἀπεγλωττισμένοις et c. 11 ἀπηγχόνησα, vel fortassis ἀπηγχόνησα, in quo et praecedente ἀπῆγγεν ἑαυτὸν absurde ludit, quum ambo verba idem significant. C. 5. λίπα χρισάμενος. Sumpsit ex Homero, quem non solum ἀλείψαι et ἀλείψασθαι λίπ' ἐλαίῳ, verum etiam χρῖσαι et χρίσασθαι λίπ' ἐλαίῳ usu celebrasse nemo ignorat: sed Lucianus utrum probaverit monstrat locus De Gymnas. 1 λίπα τε ἠλείψαντο, et sic Thucyd. IV, 68 λίπα γὰρ ἀλείψασθαι. Adjice Photium 225, 12 in Λίπα ἀλείψασθαι. C. 5. μολυβδαίνας χερμαδίους. Utrumque rursus Homero debet, sed Lucianus dicturus erat ut Anachars. 27 μολυβδίδας χειροπλήρεις. C. 9, ὁ στρατηγὸς ὀπτὸς ἐστίν. Nonnulli ut Guyetus in ambiguitate formae vel jocum vel perversitatem quaesiverunt: in quo etsi aliquid veri subest, tamen minime ὀπτὸς graece dicitur, qui colloquentibus facilis sit et aditus haud rari, seu qui aditum petentibus conveniendi det (ut Romani loqui solent). Hoc sensu Lucianus D. Deor. 9, 1 ἔστιν ὃ Ἑρμῇ νῦν ἐντυχεῖν τῷ Διὶ; — οὐκ ἂν ἴδοις αὐτὸν ἐν τῷ παρόντι. Ar. Acharn. 370 ἐνδον ἔστ' Εὐριπίδης; . . οὐκ ἐνδον, ἐνδον ἔστιν —. Denique si uno aliquo vocabulo uti voluit Lexiphanes, εὐπρόσιτος, εὐπρόσδοτος, εὐπροσόμιλος, εὐόμιλος vel εὐπροσήγορος quae quamvis raro hunc intellectum habent, eligendi ei fuit copia. C. 10 ὁ τέως αὐλούμενος. Gronovius uterque, Gesnerus et Lehmannus mendum inveteratum hic latere crediderunt, loco non intellecto. Verte: qui modo hilaris tibiae cantu oblectabatur, jam in vincula conjectus est. Nam αὐλούμενος dixit Lexiphanes perpauca secutus (v. Steph. Thesauri Ed. novam) pro solemni verbo καταυλούμενος, quem alius tibia canens exhilarat. Καταυλεῖσθαι profert Pollux IV, 67, habet Lucianus De Saltat. 2 (ubi vide Graevium) Phal. I. 11 Bis Acc. 17, κατὰδειν Phryn. Bekk. 45, 29, κατὰδεσθαι Bis Accus. 16 eodemque sensu Neron. 3 κροτούμενός τε καὶ ᾄδόμενος. Plane sic καταψάλλεσθαι crebro et aliquando ψάλλεσθαι sensu promiscuo orationi illigata sunt. C. 4. ἀρτίδακρὺς εἰμι. Est pronus ad lacrimandum, quem lacrimosum appelles licet. Hesychius: Ἀρτίδακρυς. εὐχερὴς πρὸς δάκρυον, quod non debuit dubium videri. Eur. Med. 872 ὥς ἀρτίδακρὺς εἰμι καὶ φόβου πλέα, ubi adeundus est praeter Elmslejum Hermannus, qui non injuria miratur, compositum ab ἀρτι vocabulum de rei studio accipi debere: nam ne ἀρτίκολλος quidem Soph. Trach. 765 et in Aeschilo prorsus convenit. Lucianus quid praelaturus fuerit, apparere volo e loco Navig. 2 δακρύων, ὥσπερ εἶωθε· ταχύδακρυς γὰρ ὁ ἀνὴρ. Idem Halcyon. 1 πολύδακρυς, ut Eur. Electr. 126 πολύδακρυν ἄδονα, et saepius apud hunc et alios poetas. Pollux II, 63 φιλόδακρυς, πολύδακρυς, ἄδακρυς coacervans ἀρτίδακρυς ut est poeticum esse affirmat, itaque scriptum in Aesch. Pers. 948 γόον ἀρτίδακρυν, ubi nonnihil dedit Blomfieldus. Verum ne ἀρτίδακρυς quidem sermonem merum decuit. C. 14. ὑποπυκνάζοιμι. Hoc Compositum non magis alibi legimus, quam ὑπέβδυλλε supra c. 10. Vehementer autem me

torsit, quod et ipsum quantum ego sciam inter τὰ ἀπαξ εἰρημένα referendum est, c. 13 διέμπυλον ἔχω τὴν κεφαλὴν. Quum A διέμπυλον praebeat, olim διέμπυον conieci Bekk. Anecd. 249, 21 et alia antestatus. Nunc Gesneri interpretationem: compactum atque minime pervium vaporibus caput amplector, si quidem lectio vulgata magnopere stabilitur loco Toxar. c. 30 διαστείλας τὴν κόμην καὶ ἀπαγαγὼν τοῦ προσώπου αὐχμηρὰν καὶ συμπεπιλημένην. Vides me hic ita Lexiphanis interpretem agere, nihil ut absolvam, omnia potius attrectem tanquam ἀτεχνῶς μεταπηδῶν ἐν τῷ σκότῳ neglectis rebus plurimis, quas in justo demum commentario supplere constitui. Ubi etiam de ea ratione, qua in hoc libello particulae, vincula orationis, collocatae sunt, quam potero accuratissime disseram. Exempla haec subjeci: c. 2 duplex εἶτα cum Futuro, νῦν ἤδη consociata c. 2 et c. 11, καίτοι c. 2 et c. 10, c. 2 ἀλλὰ καὶ, c. 5 κάπειδήπερ c. 6 ἤδη — ἔτι, c. 8 μετὰ δὲ, c. 12 ἀλλὰ τοί γε juncta praeter Atticorum consuetudinem, c. 13 καὶ γὰρ καὶ, quum Aristophanes, Thucydides ipseque Lucianus καὶ γὰρ particulis uti maluerint. Ne tamen a critico negotio aversus esse credar, in eo praesertim libello, qui ut setis porci sic ille corruptelis horret, de aliquot librariorum vitiis infra disputabo. C. 4 κατόπιν τῶν Καριμάντων, μετὰ τοῦ σύρφακος —. Etsi multa tum ab aliis tum a me ipso tentata sunt, nihil tamen veri videtur similis, quam Γαριμάντων Meineckii Quaest. scen. I, 56. Quod quum hic vel barbaros vel servos vel plebem intelligi oporteat, idoneum sensum suppeditat. Hesychius enim: Γαριμαντες. inquit, τοὺς βαρβάρους. οἱ δὲ, ἔθνος Λιβυκόν. Legitima forma usus Lucianus De Dipsad. 2 Γαράμαντες scriptum reliquit. Atque sic Virgilius Ecl. 8, 44 aut extremi Garamantes. Aen. IV, 198 rapta Garamantide nympa ib. VI, 795 super et Garamantas et Indos | Proferet imperium. nulla tot Codicum discrepantia. C. 10 ἐκάλει δ' οὖν με τοῦνομα. Sic quidem libri omnes: sed ἐκλάλει multo ac debueram dubitantius correxi Quaest. p. 183. Nihil quidquam hac est emendatione verius, id quod mihi totum locum iterum iterumque perpendenti constitit. C. 11 ἐπιπολύ τε ὀκλάξ παρακαθήμενος, ἐπινύσσω τὸν ἄνδρα —. Τε ut nunc locus habet ferri non potest, quod cave in γὲ convertas. Quum enim optimi libri non ἐπινύσσω, sed aut ἐπινύσσων aut ἐπινύσιον exhibeant, ἐπένυσσον potius rescribendum est, quam satis ut opinor certam emendationem ante complures annos Hermannus mihi meus proposuit. C. 12 in descriptione adolescentis omni libidinum generi foedaeque nequitiae dediti additur: ἐκείνός γε καὶ λεκαλέος. Putinarius convertit Gesnerus, vocem sibi de vitio suspectam esse profitetur Schneiderus, sed praeolare, ut mihi quidem videtur, Passovius in Lexico ληκαλέος scortum scortator legendum esse confirmat. Hoc anteponas an λαικαλέος non magnopere refert. Unum addo locum c. 24 οἶον πρώην τὸν οὐ μάλωπα οὐδὲ εἰδῶς, ὃ, τι σημαίνει ἀπέβριψας, οὐδὲν εἰκότα τῷ ὑποκειμένῳ. Tantum vitium qui

fugere potuerit viros eruditos? Quod quum alii aliter tollere studerent, Guyetus *θυμάλωπα* suasit, utrum *θυμάλωπα* an *αἰμάλωπα* substitueret, dubius haesit Hemsterhusius, Gesnerus ejusmodi quid excidere sibi sivit, quod bonae grammaticae repugnaret, malo omine praefatus: Non valde spero, me assequi posse, quid haec sibi velint, quum jam tum vulgo ignoraretur. Profecto si *θυμάλωψ* nihil aliud denotaret praeterquam *torrem* vel *titionem*, aliam potius eamque minus obviam vocem ex hoc genere collectivorum *μύωψ*, *μάλωψ*, *ὑδρῶψ*, *οἶνωψ* pro vulgari *οἶνωψ* ut *σκόλωψ*, *δόλωψ*, *αἶθοψ*, quae uberius pertractare hujus loci non est, requirerem. Neque enim Lexiphanes, si modo hominem probe novi, tam pervulgata nomina nescire potuit. Sed omnino scribi debere τὸν *θυμάλωπα* propterea in animum induximus, quoniam hoc vocabulum etiam vitium uredinem vel potius carbunculos complectitur. Pollux VII, 152 οἱ δὲ καλούμενοι νῦν τῶν ἀμπέλων ἐπίτραγοι, *θυμάλωπες*. et X, 101 — οὐ γὰρ ἂν εἶη πρὸς τοῦ βιβλίου τοῦδε παραδηλοῦν, ὅτι καὶ οἱ καλούμενοι τῶν ἀμπέλων ἐπίτραγοι (sc. *θυμάλωπες*). Hoc illud vel ignorabat Lexiphanes, vel inaudiverat quidem de eo, ut tamen rem parum exploratam haberet.

Vos jam volo atque appello, Commilitones. Neque enim dubitamus, fore ut non modo lectionibus, quae hic propositae sunt, magna arte fideque utamini, sed etiam cetera tales semper existimemini, quales prius cognitos judicavimus. Scilicet pleraeque res humanae fluxae atque caducae sunt: natae celebrantur, mox nulla est earum memoria. Quantum vero mente inveneris aut virtute paraveris, tantum tuum esse recte censebis. Hoc neque vis ulla neque saevissima pestis tibi unquam poterit eripere.

Dabamus in Academia Rostochiensi Calendis Sextilibus an. MDCCCXXIX.

LECTIONES PROFESSORUM PUBLICORUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS *privatim* h. VIII—IX. *theologiam dogmaticam* tradet et h. IX—X. *historiam dogmatum* enarrabit. *Publice in Seminarii sodalitis homileticen* praeceptet, et *sodalium homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANT. THEOD. HARTMANN I. *privatim* hor. IX—X. quaternis diebus *doctrinam biblicam de Messia* tradet adjuncta omnium locorum probantium, quae in Vet. Test. occurrunt, uberiori expositione; II. *privatim* quinis diebus hor. X—XI, cursus exegetici biennio absolventi partem secundam, *Joannis evangelium et epistolas, nec non Apocalypsin* explicabit argumenta, quae contra authenticam horum librorum nuperrime allata fuere, sedulo examinaturus. *Publice* binis per hebd. diebus hor. IX—X librum *Koheleth* interpretabitur.

IO. PHIL. BAUERMEISTER, Dr., *privatim* 1) hora X—XI. epistolas ad *Ephes. Philip. Col. Tim. Tit. Hebr.* cum iis, quae nobis *Jacobus, Petrus et Judas scripta* reliquerunt, interpretabitur. 2) hor. XI—XII. *Isagogen historico-criticam in omnes libros Vet. et Novi Test.* tradet. *Publice disputationes* de rebus ad *theologiam* et *philosophiam* pertinentibus moderabitur.

D. CAROLUS FRID. AUGUSTUS FRITZSCHE, *privatim* I. senis dd. h. X. scripta *Johannis et Acta Apostolorum* interpretabitur: II. quaternis dd. h. VIII. dicta classica V. et N. T. explicabit: III. quaternis dd. h. II. mutationes, quas literae theologicae temporum decursu subierint, persequetur: IV. *privatissime* tempore constituto colloquia exegetica et hermeneutica moderabitur.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERD. KAEMMERER docebit *Pandectas*, excluso jure hereditario, duce *Heise*, hora X et XI.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER tradet I. *publice Jus ecclesiasticum*, duce *Wiese*, sec. editionem, quam curavit Dr. *Kraut*, hora IX. II. *privatim Principia processus judiciarii civilis*, duce *Martin*, ubique tamen etiam leges Mecklenburgicas passim aliud statuentes respiciet.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER *publice* hor. III—IV. enarrabit *historiam Germaniae recentiore inde a Max. I. Imp. Privatim* hor. IV—V. docebit *Jus Germanicum*, incluso *jure feudorum et commerciorum*, secuturus compendium *Friderici Orloff*, et bin. dieb. hor. X—XI. *Jus privatum Megapolitanum*, duce *de Kamptz*.

D. FRIDER. RASPE docebit I. *Jus criminale*, duce *Martin*, hora XI. II. *Encyclopaediam Juris*, duce *Falck*, hora X. III. Scholas *examinatorias*, easque privatissimas hora pomeridiana sexta habebit.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS tradet I. *Institutiones Juris civilis Romani*, hora IX. II. *Alteram partem Pandectarum*, hora VIII. III. *publice* interpretabitur *selecta Pandectarum capita*, binis diebus, hora II.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB VOGEL, P. Med. P. O., semestri instante hiberno praelectiones in selecta medicinae capita de asphyxiis, de arte sphygmica, toxicologia etc., atque medicinam legalem audituris offert.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, Med. Prof. P. O., per instans semestre hibernum docebit: 1) hor. XI—XII. Artis obstetriciae primam partem; 2) hor. III—IV. Chirurgiae primam partem.

D. HENRICUS SPITTA, P. P. O., quater per hebdom. tradet: I. *Physiologiam C. H.*, hor. IV—V. II. *Pathologiae et Therapiae specialis* primam partem, hor. VIII—IX. III. *Exercitationes medico-practicas* moderari perget quotidie, hor. I—II.

D. CAROLUS STREMPER, P. P. O., *publice* de morbis cutaneis disseret hor. VIII. d. Merc. et Sat. *Privatim* explicabit 1) *Pathologiam et Therapiam specialem morborum chronicorum* hor. VIII. d. Lun. Mart. Jov. et Ven. 2) *Materiam medicam* iisdem dieb. hor. IX. 3) *Exercitationes clinicas ophthalmico-chirurgicas* sexies p. hebd. hor. II. in nosocomio moderabitur.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

P. J. HECKER, Mathes. P. P. O. docebit 1) calculum literalem et algebram. 2) calculum interusurii et reddituum, ejusque usum in adornandis institutis viduabus alendis inservientibus.

GER. PHIL. HENR. NORRMANN, historiar. atque politicar. doctrinar. P. P. O. tradet: *privatim* 1) *historiam Germaniae pragmaticam*, duce *Mannerto*; 2) *historiam praecipuorum Europae regnorum*, praeunte *Meuselio*; *privatissime* vero *doctrinam mercatoriam* ad filum libri *Büschiani*.

J. S. BECK, P. P. O., I. Logicam h. VIII—IX, II. Mathesin puram h. III—IV, III. Mechanicam theoreticam h. IV—V docebit.

JOH. FRID. PRIES, P. P. O., h. IX. *Encyclopaediam philosophiae* tradet, ad ductum libri: *E. G. Schulze Encyclopaedie der phil. Wissenschaften*, junctis suis animadversionibus de recta studiorum institutione. H. V. *Historiam philosophiae* enarrabit e schedis suis. *Privatissime* *Byronis* carmina selecta linguae anglicae cultoribus interpretabitur.

GUSTAVUS SARPE, Gr. litt. P. P. O., *privatim* et Latine interpretabitur I. *Aeschinis* et *Demosthenis* orationes inter se contrarias h. V., II. *Herodoti* libros postremos h. VI; *privatissime* *Ciceronis* libros de natura Deorum.

D. HENR. GUST. FLOERKE, historiae naturae et artis herbariae P. P. O. I. publice, diebus Lun., Mart., Jov. et Veneris, geographiam physicalem e schedulis suis tradet. II. *privatim* iisdem diebus 1) *chemiam cameralem* secundum *Hermstaedtii* compendium (*Grundsätze der experimentellen Kameral- und agronomischen Chemie*) et 2) *Zoologiam* docebit.

G. MAEHL, P. P. O., *Chemiam experimentalem* et *Pharmaciam* proponet.

ERN. AUG. PHIL. MAHN publice *Elementa linguae chaldaicae et syriacae* docebit; *privatim* 1) *Jesaiæ* vaticinia interpretabitur h. III. 2) *grammaticam Ebraicam* exponet h. XI. 3) *encyclopaediam* et *methodologiam* studii theologici tradet h. II.

D. IO. RUDOLPH. SCHROETER, P. P. O., propter valetudinem, qua premitur incommoda, lectiones semestri hiberno non habebit.

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE, publice binis diebus h. XI. *Aristophanis Aves* exponet. *Privatim* diebus Lunae et Jovis h. XI *Ciceronis De Officiis* libros tres interpretabitur, et diebus Martis et Veneris h. XI *Artis Metricae praecepta* tradet. Denique hh. consuet. *Seminarii philologici* exercitationibus praeesse perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM, Prof. Med. et Chir. extraord., per instans semestre hibernum hora II—III. in Demonstrationibus anatomicis Splanchnologiam, Angiologiam et Neurologiam docebit; horis X—XII. in secandis cadaveribus auditores erudiet. Horis IV—VI. alteram Chirurgiae manualis partem tradet. Privatissime Repetitorium et Examinatorium anatomicum et chirurgicum cupientibus offert.

D. CAROLUS TÜRK docebit I. *Historiam populi et imperii Germanici* ex ipsis fontibus, sexies per hebdomadem, hora XI. II. *Jus Germanicum privatum ejusque historiam*, singulis diebus hora II. et binis diebus hora III. Caeterum exercitationes aut repetitorias aut examinatorias habebit.

D. FRIDERICUS FRANCKE, P. P. E., I. *Publice* disseret de opinionibus quibus multitudo plerumque tenetur falsis, quoad finem et methodum philosophiae; bis per hebdomadem. II. *Privatim* a) Animi humani naturam legesque inquireret, sive *Psychologiam* tradet; senis p. h. diebus. b) *Metaphysicam* docebit quinquies p. h. Praeterea philosophiae amantibus offert horas disputatorias et repetitorias. Horas coram constituere licet.

L E C T I O N E S D O C T O R U M P R I V A T O R U M.

I U R I D I C A E.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE I. *gratis* quater per hebd. horis adhuc constituendis lectiones Gajanas habebit. II. *Privatim* 1) sexies per hebd. hora III. processum judicarium civilem docebit, eo rerum ordine servato, quem Martinus proposuit in libro: *Lehrbuch des Teutschen gemeinen bürgerl. Prozesses*, Heidelb. 1827; 2) hora commoda scholam suam civilem eamque practicam more consueto quater per hebd. moderabitur. Nec deerit examinatoria de jure pandectarum, vel alia jurisprudentiae parte cupientibus.

M E D I C A E.

GEORGIUS FRIDERICUS MOST, Dr. Med. et Philos., docebit 1) *gratis*: *Medicinam popularem* in ductum libri sui: *Der Arzt als wahrer Hausfreund*, 2 Theile. Leipz. 1829. 2) *privatim* *Materiam medicam* duce *Sundelin*, 3) *Artem obstetriciam* duce *Froriep*.

C. KRAUEL, Dr. med., docebit: 1) gratis: doctrinam de fracturis et luxationibus. 2) Privatum: artem fascias applicandi. 3) Examinatoria diversarum artis medicae partium cupientibus offert.

IO. FRID. GUIL. LESENBURG, Dr. med. et chirurg., per semestre hibernum hasce lectiones offert: 1) gratis Encyclopaediam et methodologiam artis medicae. 2) Privatum primam partem Chirurgiae. 3) Examinatoria et repetitoria variarum artis medicae partium.

P H I L O S O P H I C A E.

A. C. SIEMSEN, Philosophiae Doctor, per instans semestre hibernum 1) *Metallographiam* ad methodum Celeb. *Steffens* docebit; et 2) *Entomologiam oeconomicam*, secundum systema b. *Fabricii*, tradet.

CAROLUS WEINHOLTZ, Dr., 1) Logicam docebit, 2) Philosophiae propaedeuticam tradet.

GEORGIUS NICOLAUS JOANNES BUSCH, Dr., *privatim* h. III—IV. Euripidis *Phoenissas* interpretabitur; h. IV—V. Horatii *Satiras* illustrabit; *privatissime* praecepta dabit bene et Latine scribendi et dicendi.

Bibliotheca et *Museum* quovis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam*, *Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio haud deficit. Sunt etiam magistri publicae constituti, qui artem *equitandi*, *pingendi* et *musicam* doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

A. L. Diemer, AA. M. et J. U. D.

Praesidet ordini Theologorum C. F. A. Fritzsche, Dr. Th., —

Jurisconsultorum C. Th. Gruendler, J. U. D., —

Medicorum J. G. Josephi, Dr. Med., — **Philosophorum**

G. Maehl, Dr. Ph.